

QUESTIO XXXI

Quare hic Episcopus tantis meritis preclarus blasphemabatur ut malus & iniquus?

215. Quid sit blasphemare.

Capit. 77.

Tit. 3: 1. Cor. 4.

226. Richard.

Justorum vita malis odiosa.

D. August.

227. Richard.

Quod diabolus perseffere non valet, per malos homines perficit.

Blasphemia ex usu Ecclesie sumitur pro convitiis jactato in Deum ac in Sanctos, & in hoc sensu accipitur a Justino Imperatore in authent. constitut. 77. cum ait, Fames, terra motus, ac pestilentia a Deo imitti, hasque ultimo supplicio extirpandas. Secundum & generatim sumitur in Scriptura in propria significatione, ut blasphemare idem sit quod infamare, convitiari, calumniari. Sic ait Paul. ad Titum 3. num. 2. Admo e illos: & neminem blasphemare. Et 1. Corinth. 4. num. 13. blasphemamur, & obsecramus. In utroque sensu hic accipitur, ut sensus sit, multa convitia in te conjunctur, ac injuria laesseris, & non fidelis ac pius, sed tanquam Judaeismi hostis, utpote Christi, assecia impius, & execrandus reputeris ac dicaris a Judaeis, qui se veros Religionis, Deique cultores mentuntur, cum sint Synagoga, ac membra Satanae, Quastio est, quomodo iste vir tam Sanctus, ac probus tantis injuriis, ac blasphemis afficiebatur.

Respondet primò Richardus, Quoniam, ait, ceteris malorum semper est odiosa bonorum vita: & quem Deus commendat sermo pravorum blasphemat, recte subjungit, & blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudaeos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanae, id est, Congregatio adversarii, videlicet diaboli. Maxime verborum dispositio notanda est, postquam clara opera hujus Episcopi, ejus tribulatio nempe, ac voluntaria paupertas, quam pro Christo sustinuit, ab ipso maxime commendata sunt, ita subditur. Et blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudaeos esse, cum potius ob tam praeclaras virtutes in multa veneratione debebat ab eis haberi; & tamen in eum tot blasphemiarum congeruntur, ita frequenter accidit ut bonorum vita semper sit malis odiosa, sic ait D. August. in sentent. num. 32. Omnes, qui in Christo pie volunt vivere, necesse est, ut ab impiis, & dissimulatis patientur opprobria, & despiciantur tanquam stulti & insani.

Secundò Idem Richardus. Patet in his verbis, ait, sicut in aliis plerisque Scripturae locis, quod antiquus hostis bonum quod non potest impedire, ac malum quod non valet effere, per sua superbia complices Demones hoc conatur perficere, qui quanto sunt numerosiores, tanto sunt ad utrumque complendum fortiores: unde non inconvenienter Synagoga Satanae dicitur, quia eos Satanae in unam malitiam congregat, ut per eos circa robustos Sanctos robustus confingat. Ait textus blasphemaris, id est, ut valde execrandus reputaris, omni injuria, contumelia, ac opprobrio affectus Sed à quibus tot, ac tantas injurias sustines? ab ipso Dæmone immediate minime, sed à Synagoga Satanæ, seu membris ejus. Quamvis enim omnium malorum diabolus sit auctor, tamen id quod ipse per se

efficere non potest, hoc per pessimos ac perditos homines perficit & exequitur, & ad hoc facile obtinendum ipsos iniquos in unum congregat simul: Ut per eos circa robustos Sanctos robustus confingat.

Tertio, Sanct. Primas. Non oportet ipsos autem deserere, cum dicantur etiam Synagoga Satanae, cum noverimus Dominum tolerando usque in finem Iudam, exemplum nobis patientiae prae-buisse. Bene agnoscebat Episcopus hos perditos homines esse Satanæ membra cur eos non praescidit à fidelium Congregatione, cum revera essent partes putredinis corporis Ecclesiae, cur ergo eos sustinet simul cum eorum blasphemis? Prudenter, ac sanctè quidem impii sunt tolerandi, an si fieri possit, ut ad melior in frugem reducantur. Quod etiam docet Haymo. Vsq. quo 2. Iudam novissimè separaverunt à iis: sed nullus horum deserendum est, sed omnes admonendi sunt, omnes tolerandi, nam sacrilegum, impiumque proditorum usque ad passionem mortis Iudam toleravit Dominus: ad quorum mala perferentia hortatur Ecclesiam.

Quarto, Rupertus Abbas. Magnus labor, magna tibi afflictio cordis taliter, & à talibus blasphemari: sed ego istud scio: istud experius sum, Dives eram totos habens thesauros argenti in me corporaliter habitantis. Unde est, quod operi feci, nemo alius fecit, & sic locutus sum, ut dicerent adversarii, nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo: & cum dives essem, blasphemabar tanquam pauper, qui nihil haberem aut qui à Deo non essem, dicebant enim, non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit, in Beelzebub Principi Daemoniorum ejicit Demonia. Ita blasphemabar ab his, qui se Iudaeos esse dicebant, dicentis, semen Abrahae sumus, & Pater noster Abraham est & non erant Iudaei sive filii Abrahae: sed erant Synagoga Satanae, unde & dicebam illis, vos ex Patre diabolo estis, à talibus quidem, & tu blasphemaris, videlicet à falsis fratribus, qui cum faceantur se nosse Deum, factis autem negat. Bene sciebat hic Episcopus, quod ab impiis Christianis, ac falsis hominibus blasphemabatur; cur ergo hoc ei peculiariter dicitur à Christi Maxime ad corroborandum ejus animum, ut oculos suos elevarat ad Christum, ut ad sui imitationem qui cum esset Dei filius multas blasphemias sustinuit provocaretur, & ipse ad eas patienter sustinendas.

Quinto Ansbertus, Ceterum, ait, si à proprietate ad figuram sermo transeat, multos nunc intra Ecclesiam occultos, ac falsos Iudaeos, eandem Ecclesiam blasphemantes invenimus, & quos alios putamus esse, nisi recte credentes, sed malè viventes Christianos; qui videlicet Iudaeos se esse dicunt, & non sunt: quia Christianum quidem nomen habent, sed opera Christianitatis non habent de quibus per Paulum ad Titum 1. num. 16. Confitemur se nosse Deum, s. His autem negant: quos Demoniis comparat Iacobus 2. num. 19. Dum cuilibet eorum dicit, Tu credis; quia unus est Deus, benefacis, nam & Demones credunt, & contremiscunt. Inter praeclara opera hujus Episcopi, quod nempe tribulationem, ac paupertatem sustinere, in ultimo loco dicitur, tanquam omnium laborum maximum, quod blasphematur ab his qui se dicunt Iudaeos esse, & non sunt, Iudaeus idem est ac confitens, ac proinde quod blasphematus ab his,

218. Primas.

Tolerandi impii, an si scripserit ut emendantur.

228. Rupert.

Christi exemplo nostras blasphemias patienter sustineamus.

230. Ansbertus.

Tit. 1.

Jacob. 2.

Valde diffidit cum hominibus fideis, & mulatis agere.

qui se dicunt Iudaeos esse, & non sunt: quia solo nomine se dicebant fideles, cum revera tales non essent, quamvis se multum fingerent, ac dissimularent. Vide Exposit. n. 198. Et idem in laborum catalogo hoc in ultimo loco ponitur tanquam quod omnium maximum sit agere, & tractare cum hominibus fideis, ac dissimulatis, qui aliud habent in corde, aliud in ore, & ideo tales Jacobus cum Demoniis comparat, qui se fingunt credere, & contremiscere.

Sextò, D. Anselm. Qui se dicunt Iudaeos esse, & non sunt, quia cumulus tribulationis si quis ab hoste familiaris vexetur. Interlineal. Nulla pestis efficacior, quam hostis domesticus. Multi auctores, per hos, qui se dicunt Iudaeos esse, & non sunt, intelligunt Christianos malè viventes, sed cur post memoratam hujus Episcopi persecutionem, ac bonorum spolia inonem in ultimo loco, tanquam quid magis arduum, ac gravus, commemorantur blasphemiae, quas ab his Christianis tolerat: injuria, & contumelia ab amico, ac domestico illata, quod maxime durum, & acerbum est. Praclare ad illa verba Cant. 1. n. 5. Filius maris meae pugnaverunt contra me, ait D. Bernard. ferm. 29. Novi sponsa prudentiam, id expressius plangit, quod sentit differentius, quodque vigilantius nobis cavendum existimat; quidnam hoc & malum usque incensurum, atque domesticum. Expende illud, vigilantius nobis cavendum.

Cantic. 1. D. Bernard.

232.

Tob. 3.

Septuag.

Durior Sara ancilla contumelia, quam tot virorum mors.

233.

Psalm. 37.

Valde duram, & acerbam vexationem à diabolo sustinuit Sara filia Raguelis, & vxor junioris Tobiae: nam septem viros, quibus prius in matrimonium data fuerat, crudelis ille spiritus interemit: Tobiae 3. n. 8. & tamen Sara tot virorum morte injuriis affecta nec lachrymas, nec ingemuisse, nec in abscondito loco se recondisse legitur; quadam die accidit tamen, ut ipsa audiret improprium ab una ex ancillis Paris sui. Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram interfectam virorum tuarum, Ibidem num. 9. Valde difficile est explicare quot tragedias haec una contumelia excitavit: Sic enim ancillae voce percussa est, ut accenderit in superius cubiculum domus sua. Addunt Septuaginta, ut suffocaretur, hoc est ut ibi in merore vitam finiret, & si à morte ipsa se abstinuit, tres integros dies traduxit in lachrymis jejuniis, orationibus procul ab omnium commercio sequestrata. Rex valde mira, tot plagis Daemonum vexata, tot funerum injuriis appetita, nec jejunat, nec lachrymas nec, preces effudit, nec remota abdit querit; & unius ancillae vocula ad haec omnia commovetur: Ita plane, quia ab infello, & crudeli hoste, non aliud nisi ex tertia, à domestica ancilla non aliud nisi obsequia sperabat: nunc cum pro obsequio quod sperabat, convitium, quod non praefomebat, accepit, durius quam mortes ab inimico illatas judicavit.

Maximè conquequitur David: Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum, Ps. 37. n. 11. Unde haec tam rigida exinanitio: ut non solum se à corde, à virtute, seu proprio virorum vigore, sed etiam à divina providentia quodammodo destitutum lamentetur David: nam per suorum oculorum lumen divinam providentiam interpretatur Theodoret & unde in eum tam laeva tempestas; Perpende

quae subdit. Amici mei, & proximi adversum me appropinquaverunt, & steterunt, & qui juxta me erant, de longe steterunt. Ibidem num. 12. Ac si diceret. Quando inimici mei, ut sagitta acuta insurrexerunt contra me, forti & virili animo stabam contra eos: at ubi amici, & proximi conspiraverunt in me, sic anxiatum est cor meum, meaque virtus, ac vires defecerunt, ut quodammodo se destitutum à divina providentia clamet, à qua minime destitui potuit, sed ita per exaggerationem loquitur, ut se maxime dicat conturbatum, ac destitutum omni praesidio, cum videat amicorum aciem à quibus sperabat auxilium, contra se armata. D. Ambrosius in hoc Psalmo. Enumerantur omnia, ait, quibus secreta mentis viscera amarissimo compunguntur affectu, & domestico felle exacerbantur. Deplorat igitur Propheta ab amicis se & proximis impugnatum, à quibus utique non impugnari debuit, sed adjuvari.

Impugnari ab amicis conturbat animam.

D. Ambrosius.

234.

Difficultas questionis.

Apoc. 3.

Apoc. 2.

Ecclesi. 11.

235.

QUESTIO XXXII.

Quare iste Episcopus Smyrnensis adhuc vivens, tantis incomis celebratur, cum scriptum sit, ne lauda veris hominem in vita sua?

Angelus, qui Apocalypsum denuntiabat Ioanni, septem Epistolas ei mandavit scribere septem Asiae Episcopis. Ephesino Episcopo ait: Charitatem tuam primam reliquisti: cap. 2. num. 4. Quod nempe à suo primo charitatis fervore remissus sit. Episcopo Pergami ait quod sustinet Nicolaitas, iniquam & falsam doctrinam seminantes; ibidem numer. 14. Episcopo Sardis, quod nomen habes, quod vivas, sed mortuus es. Apocal. 3. num. 1. Quod licet in populo bonum nomen obtineat, tamen coram Deo mortuus est, & in peccato mortali. Episcopo Philadelphiae scribitur, modicum habes virtutem. Apocal. 2. num. 8. Quod esset tenuis animi, ac generositatis, & sic à ceteris Episcopis dicitur. At Episcopo Smyrnae, (qui ut multis placet, & supra diximus, erat Polycarpus) mittitur Epistola, quae erat quidam illustris Catalogus ejus magnarum virtutum: Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam: sed dives es, & blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudaeos esse. Apocal. 2. num. 9. Ac si dicitur, mihi valde nota est tempestas tribulationum quae contra te exorta est, paupertasque ad quam redactus es, sed valde locuples stas in multis virtutibus, patienter sustinens injurias, & blasphemias in te coniectas. Quod alii Episcopi Ephesi, Pergami, Philadelphiae suorum defectuum admoneantur, ut ab eis mudentur, ac expurgentur, optima ratio postulat, at quod Smyrnensis adhuc vivens tot laudibus celebratur, res valde mira: cum Spiritus sanctus nos doceat: Ante mortem non laudes hominem quemquam, Ecclesiastic. 11. num. 30. Quomodo ergo adhuc in vita sua tam speciosa laude decoratur.

Respondeo, quod probata virtus non humano discursu, sed Angelico testimonio comprobatur.

sur, cum egregia virtutes, ac actus heroici huius Episcopi multum eminent, provisum est ab alta Dei sapientia, ut non humano committerentur iudicio, quod saepe errori, ac falsitati est expositum, & frequenter adulationis suspicione laborat: haec ergo dicat, ac decantet Angelus de caelo, cuius testimonium immune est ab omni nota, ac defectu, ut ita eius testificatio illustrissima evadat, in omniumque aspectu sit valde sublimis, & exaltata. Apparet Angelus Gabrieli Zachariae praenuntians ei Ioannis nativitatem, ait ei; Uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, &c. Luc. 1. n. 13. Multa & alta praenuntiat Angelus de Ioanne, quod erit magnus coram Domino, & quod Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae: sed cur ad haec pronuntianda non mittitur aliquis vir magnus, sed Angelus de caelo advolat. Albertus mag. in cap. 1. Luc. Speciosa Ioannis laus, non ab homine, sed ab Angelo commendationem habet. Ut laus Ioannis esset illustrior, non humano ore, sed Angelico profertur: ut inde sibi majorem conciliaret auctoritatem, ac venerationem in omnium animos, cum non homo, sed Angelus esset, qui testificaret, cum eius testimonium nulla calumnia, nullo maligno dente calumniari, ac morderi posset.

Virtus magna non humano discursu, sed Angelico testimonio comprobatur.

Luc. 1.

Alb. Mag.

Apoc. 2. n. 10. Nihil eorum timeas, quae passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.

Num. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis; qui vicerit non laedetur a morte secunda.

VERSIONES.

Arias. n. 10. Nihil timeas, quae futurus es pati, ecce jam futurus est jacere Diabolus ex vobis in custodiam,

Tertul. in scorp. cap. 1. pro tuo conijciat in carcerem.

Oecum. In carcerem ut affligemini, & habebitis afflictionem dierum decem.

D. Augustin. Et habebitis pressuram dies decem.

S. Valer. Dabo tibi coronam victoriae.

Arias. n. 11. Habens aurem audiat, vincens non laedetur. Syriacus. Qui vincit, nihil perverfi patietur.

EXPOSITIO VII.



IHIL eorum timeas. Timere, ac pavere concessum est infirmitati naturae, ac proinde ex amore Dei, ob cuius causam haec sustines, excludendus est: praecipue, cum ipsi non valeant occidere animam. Ecce missurus est Diabolus. Vox est Graeca diabolus, & interpretatur calumniator: nomine autem Diaboli intelliguntur inimici crucis, scilicet calumniantes, membra illius. Aliquos ex vobis in carcerem: Nomine carceris significatur omne genus afflictionis, ac laboris: Ut tentemini; variis cruciatibus ut probemini an pro Christo mori parati sitis, & habebitis tribulationem diebus decem; id est, multo tempore, prout a me praedestinatum est ad vestram perfectionem, & consummationem.

Esto fidelis usque ad mortem; id est, ita firmus, & constans sis erga dominum deum tuum, ut potius mors sit eligenda, quam fides Deo data frangenda. Dabo tibi coronam vitae: Pro corona nempetui certaminis accipies coronam aeternae vitae, & fit allusio ad pugiles ac athletas, aliosque lucentes in stadio, vel agone, quibus, in praemium fortitudinis, & victoriae adepta corona dabatur: sic Christiano certanti, ac perseveranti corona dabitur, juxta illud Pauli 2. Timoth. 4. Non coronabitur, &c. Qui vicerit non laedetur a morte. Duplex est mors, prima qua corpus in hac vita moritur, de qua modo dictum est; Esto fidelis usque ad mortem. Mors secunda est animae cum aeternae damnationi addicitur. de quo infra.

QUESTIO XXXIII.

Quare cum Episcopo Smyrrensi multa tribulationes hic denuntientur, tamen ei dicitur ut nihil eorum timeat.

Dicitur huic Episcopo: Nihil eorum timeas, quae passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem. Sub nomine carceris intelligitur omne tormentorum genus: ac proinde denuntiat Episcopo, quod ipse, & alii multi ejusdem civitatis multis tormentis, ac cruciatibus sint probandi coram deo: inter quos fuerunt ipse Poiycarpus, qui igni traditus est; S. Germanicus qui bestiis obiectus; S. Pionius, qui a cruce multis clavibus confixus est & alii plures, de quibus Ecclesia Smyrrensis circulare scripsit Epistolam lectu dignissimam, quae habetur apud Euseb. lib. 4. cap. 15. & non dicit dominus aliquos ex vobis occisurus est, nam mors pro Deo ejus servus non est mors; nec res molesta, sed maxime grata, ac operabilis.

Tot, ac tantas adversitates, & persecutiones suis

236.

Græcu.

237.

Tim 4.

238.

Euseb.

239.

suis permittit Deus, ut ipsi sibi metipsis proficiant, & etiam aliis ut ad eorum imitationem ac exemplum excitentur. Richardus Victorin. In tentatione namque non tantum ille qui per eam exercetur & probatur, proficit, sed & alii multi, quibus ejus patientia virtus innotescit. Virtutes, quae parent, non solum possidentibus valent ad meritum, sed inveniuntur ad exemplum: & assignat rationem, cur Deus has persecutiones Episcopo annuntiat, ut ad illa se ipsum, suosque generose sustinentanda mundat. Sic ait e. rat. Richardus. Quam persecutionem tibi iacervo praedico, ut interim virtus colligas, & adversus irruentibus invidis persistas, ut eos qui tibi sunt commissi, contra eam permoneas.

Richard. Virtus probata, habentibus & aliis proficit.

240.

Ansbert. Per tribulationes parantur justis ad magna praemia.

D. Greg.

241.

Pannan.

Nihil timeas cum Christus sit adiuvans.

242.

Psalm. 90.

Insuper percussus propter Deum maior est percussio. D. Cypri.

jacens flammis celsior, vincens firmior vinculis, sublimior iudicantibus iudicatus, & quamvis ligatus nervo pedes essent, calcans serpentes, & obrutus victus est.

Cum tres pueri Hebraei in fornace ardenti illasi ostenderentur, Daniel. 3. n. 31. Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit, & surrexit prope, & ait optimis suis: Nomen tres viros missimus in medium ignis compedibus: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quartus similis Filio Dei. Quibus visis, ut creditur, non solum Rex in admirationem est raptus, sed etiam multa adustus puerorum invidia cum Filio Dei in mediis flammis ambulantium. Sed unde tres pueri capti, & flammis dati tantam potuerunt in potentissimo Rege invidiam excitare? Ex eo quod ab illo propter Deum ligati sunt, & flammis traditi, sic supra illum excreverunt ut optime posset magnificus Rex illis invidere. D. Zeno lib. 3. serm. 36. sic ait, Melioratur puerorum vita supplicio, Rex non invidet pueris, nisi eos praecipisset ardere. A tormento ac cruciatu ita sublimantur iusti, ut potentissimus Rex illis valeat invidere; & nunquam Rex illis invideret, nisi supplicio, ac flammis dati essent. sic supra suos percussores elevantur Martyres, qui propter Deum percutiuntur.

243. Dan. 3.

Insuper percussus elevatur super percussores.

D. Zenon.

244. Psal. 117.

Canit David Psalm. 117 n. 12. Circumdederunt me sicut apes. Cur quando a suis hostibus tenetur, eos apes dicit, quae similitudo in his cum suis hostibus; apes cum vulnus infigunt, statim & ipsae cadunt: advolat apicula, & tota irascens hominis vultum aggreditur cuspidem infigit, & indilate ipsa perit. Rem. eleganter explicat D. Ambrosius in Psal. 45. de Juda proditorum nam ipse factus dux latronum Jesum aggreditur, & impudentissimum osculum tanquam cuspidem in vultu ejus infigit. Quid tunc? non multo post ipse proditor suspensio perditur, adhuc Jesu vivente, qui tunc humiliatur usque ad crucem, ut Deus exaltaret nomen ejus non solum super ipsum proditorem sed etiam super omne nomen, quod est in caelo, & in terra. D. Ambrosius. Osculum dedit proditor, ait, insudis venenum, mortem irrogavit, cuius aculeum quidem Christus obtulit, sed solus proditor non evasit. Sicut ergo in inferendo vulnere, soae apes percunt sic in inferenda injuria, ac offensa solus persecutor perditur: & inde canit David, quod sui hostes ut apes eum circumdederunt.

In persecutione exaltatur iustus perditur persecutor.

QUESTIO XXXIV.

Quare dicitur quod Diabolus missurus est aliquos in carcerem, & non potius omnes?

Diabolus non per se immediate tradit servos Dei carceri ac cruciatibus, sed per manus ministrorum suorum: cur ergo dicitur quod Diabolus missurus est eos in carcerem? quia ipse omnium malorum est caput, ad omniaque mala inducit ac instigat. Ambrosius. Ansbertus. Cuncta, ait, qua Ecclesia sancta, sive a malis hominibus sive ab

245.

Ansbert.

ab